fit, liceat non numeratæ pecuniæ exceptionem opponere, non ſolum marito contra uxorem, vel ejus heredes, morte mulieris vel repudio diſſoluto matrimonio, ſed etiam heredibus mariti cujus morte diſſolutum eſt matrimonium: ſocero etiam, vel ejus heredibus, ſi cum filio ſuo dotem ſuſcepiſſe dotalibus inſtrumentis ſcriptum fit: omnique perſonæ quam dotem ſuſcepiſſe una cum marito conſcribitur, & ejus ſimiliter heredibus, ita tamen, ut intra [1] annum tantum continuum a morte mariti, vel mulieris, vel miſſione repudii computandum, ea licentia detur. Dat. Kal. Jun. DN. JUSTINIANO A. II. CONS. 528.

In AUTHENT. de temp. non ſol. pecun. ſuper dote. §. generaliter. col. 8. tit. 1. al. col. 7. tit. 10. Novell. 100. cap. 2.

Quod locum habet, ſi intra biennium ſolvatur matrimonium: ſi autem ultra biennium uſque ad decimum annum extendatur: & ipſi marito & heredi ejus intra tres menſes querela permittitur. Sed ſi decennium tranſcurrerit, omnino querela denegatur, permiſſa reſtitutione in integrum præſtita: & ſpecialiter ſi minor ætas intervenial.

TIT. XVI.

DE DONATIONIBUS [2] INTER VIRUM ET UXOREM, ET A PARENTIBUS IN LIBEROS FACTIS, ET DE RATIHABITIONE.

De bonis a fiſco occupatis.

1. Imp. ANTONINUS A. Triphenæ.

BOna [3] quondam mariti tui fiſcus [5], ſi nemine [ei] ſucceſſore exiſtente ut vacantia occupaverit, donationes ab eo factæ, ſi uſque [4] ad finem vitæ in eadem voluntate permanſit, revocari non poſſunt. PP. 3. Idus Jan. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

De militibus.

2. Idem A. Marco militi.

SI ancillam nummis tuis comparatam eſſe Præſidi provinciæ probaveris, donationiſque cauſa focariæ [7] tuæ nomine inſtrumentum emptionis eſſe conſcriptum: eam tibi reſtitui jubebit. Nam licet ceſſante jure matrimonii donatio perfici potuerit, milites tamen [meos] a focariis ſuis hac ratione fictiſque adulationibus ſpoliari nolo. PP. 12. Kalend. Mart. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De donatione facta ab uxore ante ſocero.

3. Idem A. Epicteto.

DOnatio mancipiorum, aliarumque rerum quas tibi ab uxore tua donatas dicis: ſi modo ſuæ poteſtatis cum donaret, fuit: vel patris [ſui] voluntate id fecit, & in eadem voluntate donans uſque [8] ad ultimum diem vitæ perſeveravit: & ex mea & D. Severi patris mei conſtitutione confirmata eſt. Sin autem poſt mortem illæ facta eſt donatio a quondam ſocero [9] tuo, etiam inter vivos ea perfici potuit. PP. 4. Non. Mart. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De his, in quorum poteſtate ſunt vir & uxor, quive in eorum poteſtate fieri poſſunt.

4. Idem A. Claudiano.

NEc [10] inter [11] eas quidem perſonas, quarum juri ſubjecti ſunt vir & uxor, [qui] [12] quæve in eorum poteſtate ſunt, donationes jure civili fieri poſſunt. PP. 3. Idus Auguſt. DUOBUS & ASPRIS COSS. 213.

De divortio.

5. Imp. ALEXANDER A. Quintillæ.

SI (ut proponis) pater tuus, in cujus poteſtate fuiſti, marito tuo genero [13] ſuo inſtrumentum debitoris donationis cauſa dedit, isque matrimonio durante vita functus eſt, ac poſtea a marito divertiſti: quod geſtum eſt, non valet. PP. Idib. Februar. ALBINO & MAXIMO CONSS. 228.

De morte uxoris donatoriæ.

6. Idem A. Nepotiano.

ETiamſi uxoris tuæ nomine [14] res quæ tui juris fuerant, depoſitæ ſunt, cauſa proprietatis ea ratione mutari non potuit, etſi donaſſe te uxori res tuas ex hoc quis intelligat, cum donatio in matrimonio facta, prius [15] mortua ea, quæ liberalitatem excepit, irrita fit: nec ignotum, quod cum probari non poſſit, unde uxor matrimonii tempore honeſte [16] quæſierit, de mariti bonis eam habuiſſe veteres juris auctores merito crediderint. PP. Non. Decemb. ALEXANDRO A. III. & DIONE CONSS. 230.

Si matrimonium valuit, vel non.

7. Idem A. Theodotæ.

SI ex voluntate [17] patris tui filio [18] tutoris nupta es, collata in maritum donatio ipſo jure irrita eſt [19]. Sed ſi matrimonium jure non [20] valuit; licet ipſo jure donatio tenuerit: quia tamen indigna perſona ejus fuit, qui nec maritus poteſt dici, utiles actiones ſuper revocandis [21] his tibi competunt. PP. Kal. Octob. LUPO & MAXIMO CONSS. 233.

De fructibus.

8. Idem A. Leoni.

SI fructus [22] eorum prædiorum, quæ in dotem accepiſti, matrimonii tempore uxorem tuam percipere paſſus es, eosque uxor tua conſumpſit [23]: reſtitui tibi poſt divortium oportere, nulla ratione conſentis. Sin autem ex his locupletior [24] facta eſt, in tantum poteſt conveniri. PP. 5. Kal. Oct. MAXIMO & PATERNO CONSS. 234.

De rebus uxori comparatis ex pecunia mariti.

9. Imp. GORDIAN. A. Origeni.

ETſi de tua [25] pecunia mancipia uxori tuæ comparata ſunt: tamen ſi ei tradita [26] ſunt, eorum dominium non ad te, ſed ad eam pertinet: pecuniæ autem tantummodo repetitionem habes, ſive [27] negotium ejus gerens numerationem feciſti, ſive in eam donationem conferens quantitatem pretii largitus es [28]. Etenim vel in ſolidum [29], vel quatenus locupletior [30] facta eſt, actione cum ea competenti experiri poteris. PP. 7. Kal. Octob. PIO & PONTIANO CONSS. 239.

De confirmatione donationis ne res donata injurioſe auferatur.

10. [31] Idem A. Valeriano.

SI maritus quondam uxoris tuæ, cum ſui juris eſſet, in eam prædia, vel donationis titulo contulit, & in ea voluntate uſque ad mortem ſuam duravit: ex Oratione [32] divi Severi confirmata eſt donatio. At ſi eas res pater defuncti injurioſe abſtulit: per Præſidem provinciæ eas reſtituere [33] cogetur. Nec enim quaſi maleficiis [34] ejus ſit maritus extinctus, crimen intendens, ſub prætextu [35] accuſationis, quæ donata fuit, auferre debuit: cum cauſa liberalitatis [36] a criminationibus ſeparata [37] ſit. PP. 7. Kal. Febr. ARIANO & PAPPO CONSS. 244.

De petitione & repetitione.

11. Idem A. Maximo.

SIcut ceſſat petitio quantitatis, quam de ſuo maritus uxori in [38] menſes ſingulos, vel annos [39] [ſingulos] proprii uſus gratia promittit: ita [&] ex ea cauſa nummi ſoluti erogatique non dant repetitionem manifeſtum eſt. PP. 5. Kal. Jul. GORD. A. II. & POMPEIANO CONSS. 242.

De obligatione rei donatæ.

12. Idem A. Secundinæ.

SI maritus tuus creditores ſortitus, poſt [41] factam in te donationem, fundum quem ex donatione juri tuo vindicas, iisdem ſpecialiter obligavit: eandem obligationem defenſionis tuæ firmitatem interrumpere, intelligere debes: cum ſit [42] manifeſtum, non ſolum hujusmodi obligatione, ſed etiam donatione, vel venditione, vel alio quolibet modo rebus alienatis, revocatam eſſe a viro in mulierem factam donationem. PP. 3. Kal. Feb. ARIANO & PAPPO CONSS. 244.

1 Cautioni falſæ dotis objicitur præſcriptio anni numerandi a ſoluto matrimonio, quam *Nov.* 100. valde immutavit. Vult enim ut ſoluto matrimonio exceptio dotis non numeratæ opponatur intra annum, ſi matrimonium biennium tantum duravit. alioquin intra tres menſes tantum certis caſibus: alias nullo modo.

2 Infra donationes ſimpliciter inter virum & uxorem prohibitæ conſtante ipſo matrimonio, ut hoc titulo. Quid mutuæ? hodie valent, ut notavi ad *l.* 5. *ſupr. de pact. convent.* 3 Dixi *ad lib.* 24. *D.* 1. adde Clar. 4. *ſent.* §. *donatio. quæſt.* 9. 4 Si quum maritus donaſſet, ad finem uſque vitæ donationi adquieverit, rata fit donatio: quapropter, ſi fiſcus marito ſucceſſerit, tanquam nullos heredes habenti, donationes factas reſcindere non poteſt. *Synopſ. Baſil.* 30. *tit.* 1. *cap.* 50. & 4. Harmen. 11. §. 4. 5 Confiſcatio bonorum mariti non infirmat factas uxori donationes a marito. 6 *l.* 14. *infr. h. t. l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* 7 Miles focariæ donare non poteſt. Focariæ, militum amicæ, quæ focum eis ſtruunt. dixi ad *l.* 12. §. 6. *ff. de inſtruct. vel inſtrum.* Paulus 3. *ſent.* 6. §. 37. adde quæ ſcripſi ad *l.* 5. *ff. de donat.* Rolandus a Valle 1. *conſil.* 98. id ad clericos extendit: recte, militant enim clerici vel quaſi militant. vid. *l.* 10. *Ĵ. de Epiſc. & Cler.* Everard. *in Topicis loco a milite armatæ militiæ ad militem cæleſtis militiæ* 59. & *a milite ad Eccleſiam* 57. 8 Donatio facta ab uxore, morte ejuſdem, aut ſi ea in poteſtate erat patris, ejus morte confirmatur. 9 Socer quondam, genero dare poteſt. *l.* 26. *in fin. ff. h. t.* 10 Nec qui virum & uxorem ſuæ poteſtati ſubjectos habent, nec qui ſunt in uxoris, aut viri poteſtate, ſibi donare poſſunt, hoc eſt, nec ſocer conſoceri: nec filius viri ſervo mulieris donare poſſunt. *Synopſ. Baſil. ibid. cap.* 39. adde 4. Harm. 11. §. 7. 11 Socer conſocero donare non poteſt. *l.* 3. §. 6. *ff. h. t.* 12 *l.* 3. §. 2. *ff. h. t.* 13 Morte ſoceri non confirmatur donatio genero facta ab eodem ſocero, ſi filia ſupervivat. *Bart.* 14 Vir deponens rem aliquam nomine uxoris, non amittit rei depoſitæ dominium. *l.* 8. *in fin. ſupr. de inoffic. donat.* 15 Morte donatarii extinguitur donatio, & ad eum res revertitur, qui donavit. *l.* 18. *l.* 20. *in fin. infr. l.* 32. §. 14. *ff. h. t. l.* 8. *ff. de reb. dub.* 16 Præſumitur uxor conſtante matrimonio quidquid adquiſivit de bonis mariti adquiſiviſſe, turpis quæſtus evitandi cauſa, *ut hic. l.* 51. *D. h. t. cap. ſignificavit.* 2. *x. de donat. inter virum.* Plautus *Caſina*, Nam peculii probam nihil habere addecet clam viro: & quod habet partum, ei haud commodi eſt: Quin viro aut ſubtrahat, aut ſtupro invenerit. Hoc viri cenſeo omne, quidquid tuum eſt. Idem eſt in rerum Eccleſiaſticarum curatore. Hic enim præſumitur omnia paraſſe ex rebus Eccleſiæ, quæ non patet ei obveniſſe jure cognationis. *Novell.* 123. *cap.* 3. Ea quoque ratione gaſtaldus, id eſt, actor præſumitur ex re domini paraſſe, quod adquiſivit. *l.* 1. *Legum Longobardic. t.* 3. *de adquir. act. reg.* Quid? tutor qui antea pauper, poſt adminiſtrationem rerum pupillarium, dives factus eſt? præſumitur tutor vel curator ex ſua potius induſtria dives factus, quam ex bonis pupilli vel adulti. *l.* 10. *Ĵ. arbitrium tutelæ.* Præſumitur enim quis ex ſua potius induſtria, quam ex alienis bonis locupletari. Ad eundem modum, quidquid frater adquirit, præſumitur ſuo labore potius quam ex communibus bonis adquiſiviſſe. dixi ad *l.* 51. *ff. h. t.* adde Cremenſem *ſing.* 6. Quid qui officio aliquo fungitur? num ex ſuo officio adquiſiviſſe præſumitur? vide *l. defenſionis facultas.* 7. *Ĵ. de jure fiſci, lib.* 10. *tit.* 1. Quid filia vel filiusfamilias? præſumitur filia patris ex bonis adquiſiviſſe, at non filius: niſi aliæ conjecturæ accedant, ut ex Bartolo refert Maſuerius, *tit. de præſumpt.* 19. *num.* 7. Aliud ergo ſi longe poſt matrimonium, id eſt, non intra annum luctus mulier quæſiverit, (Nam ex his quæ in continenti fiunt, præſumptio colligitur. *l. ſi ventri.* 24. §. *in bonis.* 2. *ff. de rebus auctoritate judic. l. ſi quis poſthac.* 9. *Ĵ. de bonis proſcriptorum.*) aliud etiamſi maritus inops fuit, uxor vero dives: major enim præſumptio minorem debet vincere. Aliud autem eſt in concubina. vide Coraſ. 3. *Miſcell.* 5. idem tamen putat eſſe in concubina. Baldus *l.* 1. *Ĵ. de naturalibus liberis.* Aliud quoque ſi uxori bona paraphernalia multa fuerint, aut ſi negotiatrix mulier erat: nam quæ in domo mariti reperiuntur, ejus eſſe præſumuntur, non uxoris. Cætera quæ ad hanc regulam pertinent, vide apud Alciatum 3. *præſumpt.* 26. Zaſ. 1. *conſ.* 5. *n.* 21. Mynſing. 2. *obſ.* 92. ubi inter cætera notat hanc præſumptionem mulieri non tantum a marito ejusve heredibus, ſed & ab extraneo poſſe objici. 17 Et ita juſte. 18 Vide *l.* 6. *in fin. l.* 7. *Ĵ. de interdict. matrim. l.* 66. *l.* 67. *ff. de ritu nupt.* 19 Quia donatio conſtante matrimonio facta non valet etiam inter vivos conjuges, ut hoc caſu. 20 Donatio inter conjuges putativos, licet teneat ipſo jure, non tenet tamen in effectu, poteſtque revocari. Uxor etiam illicita viro non donat. 21 Adde *l. unic.* §. 12. *in fin. Ĵ. de caduc. tollend.* 22 Fructuum etiam donatio non valet inter conjuges, niſi ſint conſumpti. 23 Fructus uxori donati & conſumpti non repetuntur, niſi facta ſit locupletior. *l.* 28. §. 3. *ff. h. t.* 24 Eatenus revocatur donatio inter conjuges facta, quatenus recipiens locupletior efficitur. *l.* 28. §. 3. *l.* 32. §. 9. *l.* 50. *in fin. ff. h. t.* 25 Maritus ex ſua pecunia rem uxoris poteſt emere. 26 Traditio transfert dominium. *l.* 20. *Ĵ. de pact.* 27 Licet maritus rem uxoris emat propria pecunia, res tamen uxoris eſt, ſi ei tradita ſit. 28 Rei uxori traditæ pretium maritus condicere poteſt, vel ut geſtor: vel ut donator. 29 Si tradidiſti, ut geſtor. 30 Si tradidiſti, ut donator. *l.* 8. *in fin. ſupr. h. t.* 31 Alias hæc lex eſt 11. apud Haloand. recte: ut ex die ſubſcriptionis apparet. 32 *l.* 32. §. 1. *ff. h. t.* 33 Spoliatus ante omnia reſtituendus eſt. *l.* 1. *Ĵ. ſi per vim. l. ſi quis ad ſe fundum.* 7. *Ĵ. ad l. Jul. de vi public.* & 3. *quæſt.* 1. *can. redintegranda.* 4. & *cap. conquerente.* 7. *extr. de reſtit. ſpoliat.* 34 Veneficiis. 35 Etiamſi reus qui ſpoliavit, crimen actori objicere ſit paratus, non per id tamen impeditur, quominus actor ſpoliatus ante omnia reſtituatur. Cauſa ſpoliationis privilegiata eſt, nec protelari prætextu criminis objecti debet. 36 Separata eſt cauſa donationis ab actione criminis. 37 Separatorum ſeparata debet eſſe ratio. *l. ult. ff. de calumniatorib. l.* 20. *ff. de minorib.* 25. *ann. l.* 18. §. 1. *in fin. ff. famil. erciſc.* 38 De menſtrui vel annui donatione inter conjuges non agitur: nec ſoluti repetitio datur. 39 *l.* 28. *in fin. l.* 33. *ff. h. t.* 40 *l.* 31. §. 8. §. 9. *ff. h. t.* 41 Vid. *l.* 32. §. 5. *ff. h. t.* 42 Hodie mutatum hoc eſt. *Novell.* 162. *cap.* 1. §. 1. quæ negat maritum rem donatam uxori pignori obligando mutaſſe voluntatem videri.

Donatio valida facta uxori non præjudicat creditori anteriori, ſed ſequenti. Sal.

13. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Rufinæ.

SI quidem ante donationem poſſeſſionis in te jure (ut dicis) a marito collatam, prædium ab eodem creditori obligatum [1] fuerit: alienationem ejus ſalvo [2] jure debiti, ſi tamen juris ratio actionem ejus [creditoris] non excludit, factam eſſe non dubium eſt. Quod ſi donatione [3] jure celebrata, eo quod vel ante nuptias facta eſt, vel in iisdem caſibus in quibus etiam conſtante matrimonio donatio procedere poteſt, obligatio inſecuta eſt: factum mariti, quem diem ſuum obiiſſe memoraſti, juri tuo officere non poſſe certum eſt [4]. PP. 12. Kal. Julias, MAXIMO II. & AQUILINO COSS. 286.

De confirmatione donationis facta in teſtamento.

14. Iidem AA. Octavianæ.

EX verbis quæ in poſtremis judiciis [5] inſeruntur, licet ad fideicommiſſum, vel legatum utilia ſint, non tamen omnino legati vel fideicommiſſi perſecutio datur: ſed ita demum, ſi relinquendi ſtudio hujusmodi verba fuerint adſcripta: Unde te voluntatis [6], non juris quæſtionem in preces tuas contuliſſe palam eſt. Cum igitur teſtamento lecto animadvertimus maritum tuum ex præcedente donatione dominium tibi reſervaſſe, ſecuritatique tuæ ad obtinendam proprietatem caviſſe: inditorum verborum conceptio non fideicommiſſum relictum oſtendit, ſed ex Senatusconſulti [7] auctoritate liberalitatem mariti tui, cui cuſtodiendæ etiam moriens proſpexerit, quatenus firmare potuit dominium, mortis tempore tibi eſſe addictam. PP. 3. Non. Octob. ipſis & AA. CONSS. 290.

De venditione ſimulata, & de fiſco creditore mariti donantis.

15. Iidem AA. Juſtinæ & aliis.

SI [8] non verum contractum pater veſter geſſit, ſed ſub [9] ſpecie [10] venditionis donationem [poſſeſſionis] in matrem veſtram contulit, nec ex bonis, quæ in perſona patris veſtri permanſiſſe videbantur, ob [11] primipilum indemnitati fiſcali [12] ſatisfieri potuit: licet in eadem donandi voluntate perſeveraverit: ex eadem tamen poſſeſſione ad ſupplendam pecuniam, quæ ex bonis ab eo relictis colligi nequiverit, conferendum eſt. Quod ſi liberalitatis tenorem mutata voluntate pater tuus interrupit: [13] in hereditate ejus dominium reſediſſe nulli dubium eſt. PP. 4. Kal. Febr. TYBERIANO & DIONE CONSS. 291.

De re empta ex pecunia mariti.

16. Iidem AA. Theodoro.

SI filii tui emancipati matris hereditatem ſibi acquiſierunt: proba [14] apud præſidem provinciæ non donandi animo te nomine uxoris tuæ prædia comparaſſe, ſed nominis duntaxat ejus titulo [15] [uſum] per poſſeſſionem rerum a venditoribus tibi traditarum [16] dominum eſſe effectum, ut comprehenſa filiorum tuorum injuria, proprietatis jus incolume perſeveret. Nam ſi largiendi [17] propoſito id te feciſſe conſtiterit: pecuniæ tibi perſecutio competit. PP. Id. Mart. TYBERIANO & DIONE CONSS. 291.

De paraphernis a marito conſumptis.

17. Iidem AA. & CC. Capitolinæ.

DE [18] his, quæ [19] extra dotem [in domum] illata a marito erogata commemoras: ſi [20] quidem te donante conſumpta ſunt, intelligis adverſus heredes non niſi in quantum locupletior fuit, habere te actionem: Si [21] vero contra voluntatem tuam: omnia tibi reſtitui oportere. PP. 8. Kal. Mart. *Heracliæ*, AA. COSS. 293.

An donatio initio vel ex poſt facto valeat.

18. Iidem AA. & CC. Maternæ.

A Marito in uxorem donatione collata matrimonii tempore, nec [22] initio dominium transferri poteſt: nec poſt [ſi] divortium interceſſerit [23], vel prior perſona, quæ [24] liberalitatem accepit, rebus humanis fuerit exempta, vel ab eo qui donavit fuerit revocata [25], poteſt convaleſcere. Dat. 4. Kalend. Septemb. AA. CONSS. 293.

Si mater donet filio communi.

19. Iidem AA. & CC. Dionyſiæ.

SI [26] conſtante matrimonio tibi mater [27] domum tradidit: hanc in tuis [28] bonis fecit. Datum Idib. Jul. *Philippopoli*, CC. CONSS. 294.

Si creditor mariti conſentientis rem uxori donaverit.

20. Iidem AA. & CC. Claudiæ.

CReditor debito ſoluto de pignore liberato nihil ad uxorem debitoris quondam transferre potuit. Sed nec conſenſus ejusdem debitoris accedens per eum, [qui] creditor fuit, imaginariæ [29] factæ venditioni ad dominium transferendum prodeſſe quicquam potuit: cum tam ea quæ ſimulate aguntur, quam quæ in uxorem a marito donationis cauſa tempore matrimonii procedunt, propter juris civilis interdictum [30] (cum proponas uxorem ſuperſtite [31] marito rebus humanis exemptam) pro infectis habeantur. Dat. 5. Id. Auguſt. *Viminacii*, CC. CONSS. 294.

De uxore expendente pro marito.

21. Iidem AA. & CC. Maucaliæ.

SI propriis habitis contractibus, quam acceperas mutuam pecuniam pro marito donationis cauſa erogaſti: cum hæc ad dignitatem [32] profuerit, nec locupletior ſit factus: intelligis nullam tibi contra eum competere actionem. Dat. 3. Id. Auguſt. *Viminacii*, CC. CONSS. 294.

De ſervo manumiſſionis cauſa donato.

22. Iidem AA. & CC. Archinoæ.

MAritus [33] manumiſſionis [34] cauſa ſervum mulieri conſtante matrimonio donare poteſt. S. Kal. Auguſt. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

Si ſocrus nurui donaverit.

23. Iidem AA. & CC. Cæcilianæ.

SI te in vacuam [35] poſſeſſionem prædii ſocrus [36] tua titulo donationis ante matrimonium, vel poſt induxit: ad reſcindendam donationem pœnitentia [37] nihil proficit. S. Kal. Novemb. *Brunduſii*, CC. CONSS. 294.

De condemnatione mariti donatoris.

24. Imp. CONSTANT. A. Petronio Probino.

REs [38] uxoris, quæ vel ſucceſſione qualibet, vel emptione, vel [etiam] largitione viri in eam ante [39] reatum jure pervenerant, damnato [40] [ac mortuo ex pœna marito, vel in ſervilem conditionem ex pœnæ qualitate deducto,] illibatas eſſe præcipio, nec alieni [41] criminis infortunio adſtringi uxorem: cum paternis maternisve, ac propriis bonis frui eam integro legum ſtatuto religioſum [42] ſit: & donatio maritalis ante [43] tempus criminis ac reatus collata in uxorem, quia pudicitiæ [44] præmio ceſſit, obſervanda ſit, tanquam ſi maritum ejus natura non pœna ſubduxerit. Sin autem aqua & igni ei interdictum erit, vel deportatio illata, non tamen mors ex pœna ſubſecuta: donationes a viro in uxorem collatæ, adhuc in pendenti [45] maneant: quia nec [46] matrimonium in hujusmodi caſibus diſſolvitur, ita ut ſi usque ad vitæ ſuæ tempus maritus eas non revocaverit, ex morte ejus confirmentur: fiſco noſtro ad easdem res nullam in poſterum communionem habituro. Dat. 3. Kal. Mart. *Sardiniæ*, CRISPO II. & CONSTANTINO II. CONSS. 321.

In AUTHENT. de nupt. §. quod autem, col. 4. tit. 1. Nov. 22. cap. 8.

SEd hodie nemo bene natus a principio, ex ſupplicio ſit ſervus, & ideo matrimonium non diſſolvitur.

De inſinuatione & confirmatione donationum.

25. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

DOnationes quas parentes [47] in liberos cujuscunque ſexus in poteſtate ſua conſtitutos conferunt, vel uxor in ſuum maritum, vel maritus in ſuam uxorem [48], vel alteruter eorum in aliam perſonam,

1 Præcedens obligatio non impedit ſequentem dominii translationem, obligationem impedit. 2 Res obligata alienari ſolet ſalvo jure debiti. 3 Donatio valida non præjudicat creditori anteriori, ſed ſequenti. 4 Cur ita? vide *l.* 2. *infr. ſi aliena res pignori.* 5 Id eſt, in teſtamentis: hoc innuit, donatione inter vivos per maritum uxori facta & in ejus teſtamento confirmata, rem ejusque æſtimationem non deberi, ſed rem tantum ex donatione morte confirmata, ut confirmatio donationis inter virum & uxorem facta in teſtamento non intelligatur eſſe nova diſpoſitio: ſed veteris tantum corroboratio, & retrotrahatur. Ideoque ſi donator mihi legat, quod antea mihi donavit, id confirmationis jure capietur, non legati: ut hinc conſtet, verbum *Lego*, non ſemper facere legatum, uti nec verbum *Dono*, donationem. *l.* 15. §. 4. *ff. locati.* vide Cravettam *in repetitione rubricæ. ff. de legatis.* 6 Voluntatis & juris quæſtiones diverſæ. 7 *l.* 32. *ff. h. t.* 8 Donavit uxori maritus, ne tamen donaſſe videretur, in inſtrumentum contulit ſe vendidiſſe: reapſe igitur donatio fuit imaginaria venditio, quæritur an hujusmodi donatio ſubſiſtat? ſic ſane ſi res donatas ante mortem non revocavit maritus. Pone non revocaſſe, & cum deberet fiſco ex cauſa primipilii mortuum eſſe: & ad ſolutionem reliquum ejus patrimonium non ſufficere? etiam fiſcus in res ita donatas experiri poteſt. Quid ſi ſuperſtes donationem revocavit? ne quidem rei dominium alienavit, ſed illud moriens heredi reliquit, *ut hic. Synopſ. Baſil.* 19. *tit.* 5. *ex lib.* 30. *tit.* 1. *cap.* 69. 9 *l.* 20. *infr. h. t. l.* 32. §. 5. *ff. h. t.* 10 Εἰκονικῶς πιπράσκων ἐδωρήσατο, id eſt, imaginarie vendens donavit. 11 Ἀπὸ πριμιπίλου. *Synopſ. ibid.* ubi in ora legitur ἀπὸ δημοσίου, ex cauſa fiſcali ex primipilo. vide *infr. de primipil. lib.* 12. *tit.* 63. 12 Maritus in fraudem fiſci, cui eſt obligatus, donare uxori non poteſt, aut donationem venditione ſimulata adumbrare. 13 Id eſt, revocavit, revocata donatione, res donatæ revocari in hereditatem donatoris intelliguntur. 14 Præſumitur enim pro inſtrumento. *l.* 18. *ſupr. de probat.* 15 Si maritus honoris gratia nomen uxoris adſcribi curavit in inſtrumento emptionis quod fecit, ipſum fundum poteſt vindicare. *Salicet.* Præſumitur emptio ſimulata, ſi titulus in perſona uxoris adjectus eſt, & traditio facta eſt ipſi marito. vid. *l.* 4. *l.* 5. *ſupr. ſi quis alteri vel ſibi.* Bald. 16 Maritus rem emptam ſibi traditam ait: uxor ſuo nomine rem emptam adfirmat, quis potior in dominio? mulier: etiamſi maritus ex traditione ſibi facta ſe uſum duntaxat titulo ac nomine uxoris probare velit. 17 Quod vir uxoris nomine comparavit, eique tradidit, non repetit: ſed pretium tantum: nam quoties titulus & traditio in perſona uxoris concurrit, adquiritur uxori dominium. 18 *Synopſ. Baſil.* 29. *tit.* 1. *ex lib.* 30. *tit.* 1. *cap.* 30. §. 4. 4. Harm. 9. §. 22. 19 Paripherna intelligit, de quibus vide *l.* 8. *l.* 11. *ſupr. de pact. convent. tam. l.* 9. §. 3. *ff. de jure dot.* quæ Græcis ἐξώπροικα. 20 Paraphernalia uxoris ſi maritus ea conſentiente conſumit, præſumitur donatio & repetit uxor quatenus maritus eſt locupletior. 21 Si maritus conſumit uxoris parapherna ea invita, tenetur in ſolidum. *l.* 8. *ſupr. de pact. convent.* 22 Rei donatæ inter conjuges dominium non transfertur. Facit *l.* 4. *ſupr. de don. ante nupt. l.* 22. *ff. de don. inter vir.* 23 Donatio inter virum & uxorem divortio facto tacite evaneſcit. 24 Res donata inter conjuges donatario præmoriente tacite fit irrita. *l.* 6. *ſupr. h. t.* 25 Donatio facta conſtante matrimonio poteſt a donatore revocari. Quid ſi jurata ſit donatio? Roland. a Valle negat revocari poſſe. 1. *conſil.* 77. *num.* 8. & paſſim *dict. conſil.* 26 Donare filiæ ſuæ conſtante ejus matrimonio mater poteſt. *Synopſ. Baſil.* 30. *tit.* 1. *c.* 73. & 4. Harmen. 11. §. 6. 27 Donatum uxori alicujus conſtante matrimonio ab ejus conſanguineis fit uxoris, non mariti. 28 Non mariti. 29 *l.* 18. *ſupr. h. t.* 30 *l.* 15. *Ĵ. h. t.* res ita habet: libero meum pignus a meo creditore, eique ſatisfacio. Poſtmodum clam adſimulo me pignus creditori vendidiſſe, ut deinde creditor uxori meæ pignus donet: donatur pignus meæ uxori? talis donatio in fraudem legis excogitata non valet. Nam ſicut non poſſum donare uxori, ita nec alii rem meam donanti colludendo conſentire. 31 Vide *l.* 6. *ſupr. h. t.* 32 Dixi ad *l.* 40. & 42. *ff. h. t.* vide Ulpian. 7. §. 1. 33 Donare ſervum mulieri maritus poteſt, ut acceptum manumittat. *Synopſ. Baſil. ibid. c.* 75. 34 Patronatus jure non cenſetur locupletior donatarius factus. *l.* 7. *in fin. ff. h. t. l.* 109. *ff. de legat.* 1. locupletior factus non videtur, qui libertum adquiſivit. 35 *l.* 12. *ſupr. de donat. ante nupt.* 36 Donatio valet inter ſocrum & nurum. *l.* 3. §. 7. *ff. h. t.* vel ita, donare ſocrus genero recte poteſt. *Synopſis Baſil. ibid. cap.* 76. vel ita, ſocrus nurui, & nurus ſocrui donare non prohibetur: nec enim jus hic poteſtatis vertitur. 1. Harm. 11. §. 13. 37 In legitima donatione pœnitere non licet. 38 *l.* 1. *C. Theod. de bonis proſcriptorum lib.* 9. *tit.* 42. 39 *l.* 2. *ſupr. ne uxor pro marito.* 40 *l.* 13. §. 1. *ff. h. t.* 41 Alieni criminis infortunio nemo adſtringitur. vide *l.* 22. *Ĵ. de pœnis.* 42 Religioſum eſt permitti quemque ſuis bonis frui. *l.* 9. *ſupr. de Judæis & cælicol.* 43 Poſt contractum crimen capitale vir uxori donare non poteſt, ante poteſt; adeo ut ſi vir donationem ante ſupplicium non revocaverit, uxor donationem conſequatur. adde *l.* 15. *ff. de donat. l.* 48. *in fin. ff. de jure fiſci.* 44 Donatio viri in uxorem pudicitiæ præmium. 45 Deportatione donatio uxori facta ipſo jure ac tacite non cenſetur revocata: pendet tamen jus donationis ex mariti voluntate. 46 Matrimonium non diſſolvitur aquæ & ignis interdictione & deportatione. *Nov.* 22. *cap.* 8. & 13. *l.* 1. *Ĵ. de repud. & judic. de morib.* Imo diſſolvitur. *l.* 56. *ff. ſolut. matrim.* Solve: nuptiæ manent jure gentium: non jure Quiritum. Jus gentium in nuptiis potiſſimum ſpectatur. *l.* 14. §. 2. *ff. de ritu nupt.* & ita ſolvit Cujac. *Novell.* 22. 47 Donationes patris in liberos filiosfamilias convaleſcebant, ſi in ea voluntate perſeverantes deceſſiſſent. Paul. 5. *ſent.* 11. §. 3. ſola matris morte non confirmabantur. *l.* 1. §. 1. *ff. pro donato. l.* 2. *in fin. ff. pro herede.* ſed ſi judicio patris extremo confirmatæ. *l. pen. ff. de collat. l.* 2. *C. Gregorian. familiæ erciſc.* Hodie ſilentio confirmantur, *ut hic.* Goth. Vide Bellapert. *hic.* & Ant. Merend. *controv. jur. lib.* 1. *cap.* 24. Anſ. 48 Adi Menchacam *controverſ. illuſtr. lib.* 1. *c.* 5. & Gilbertum Regium *lib.* 2. ἐναντιοφανῶν *c.* 16. Mod.

cui conſtante matrimonio donare non licet, vel aliæ perſonæ in [eam] cui donare non poterant, ita firmas eſſe per ſilentium [1] donatoris, vel donatricis ſancimus, ſi [2] usque ad quantitatem legitimam, vel eam excedentes, actis fuerint intimatæ [3]. Nam amplioris [4] quantitatis donationem minime intimatam, nec per ſilentium [5] ejus qui donavit, confirmari concedimus. Sin vero ſpecialiter eas in ſuprema voluntate donator vel donatrix confirmaverit, ſine ulla diſtinctione ratæ habebuntur: ita tamen, ut ſi quidem ultra lege definitam quantitatem expoſitæ, minime in actis inſinuatæ fuerint: ſpecialis earum confirmatio ex eo tempore vim habeat, ex quo eædem donationes confirmatæ [ſunt]. Si vero vel non amplior ſit donatio, vel cum amplior eſſet, in actis inſinuata ſit: tunc & ſilentium donatoris, vel donatricis, & ſpecialis confirmatio ad [6] illud [7] tempus referatur quo donatio conſcripta ſit: ſicut & alias ratihabitiones [8] negotiorum geſtorum ad illa reduci tempora oportet, in quibus contracta ſunt. Nec in cæterum ſubtilem diviſionem facti, vel juris [9] introduci poſſe. Dat. Id. Dec. DN. JUSTINIANO A. II. CONS. 528.

De Imperatore vel Auguſta.

26. Idem A. Mennæ P. P.

DOnationes, quas divus Imperator in [10] piiſſimam Reginam ſuam conjugem, vel illa in Sereniſſimum maritum contulerit, illico [11] valere ſancimus, & pleniſſimam habere firmitatem: utpote imperialibus contractibus legis [12] vicem obtinentibus, minimeque opitulatione quadam extrinſecus egentibus. Dat. 8. Idus April. DECIO V. C. CONS. 529.

De captivitate.

27. Idem A. Joanni P. P.

SI unus ex his qui matrimonio fuerant copulati, in alium donatione facta ab [13] hoſtibus captus eſſet, & in ſervitutem deductus, & poſtea ibi [morte] peremptus: *quærebatur*, an hujusmodi liberalitas quam ante fecit, ex hoc roborari videretur, an vacillare? & iterum ſi donator quidem in civitate Romana conſtitutus deceſſiſſet, mortis autem ejus tempore is, qui donationem accepiſſet, in captivitate degeret, & poſt reverſus eſſet, an videretur & tunc donatio rata haberi? Cum itaque in utroque caſu oporteat auguſto remedio cauſam dirimi: cum nihil [14] tam peculiare ſit imperialis majeſtatis, quam humanitas, per quam ſolam Dei ſervatur imitatio [15], in ambobus caſibus firmam eſſe donationem cenſemus. Dat. Kalend. Dec. LAMPAD. & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

TIT. XVII.

DE [16] REPUDIIS [17] ET JUDICIO DE MORIBUS [18] SUBLATO.

De deportatione, & aquæ, & ignis interdictione.

1. Imp. ALEXANDER A. Abutinianæ.

MAtrimonium quidem deportatione [19], vel aquæ & ignis interdictione non [20] ſolvitur, ſi caſus in quem maritus incidit, non mutet uxoris adfectionem. Ideoque dotis exactio [21] ipſo [22] jure non competit: ſed indotatam eam eſſe, cujus laudandum propoſitum eſt, nec ratio æquitatis, nec exempla permittunt. PP. Nonis Novembr. ALEXAND. A. III. & DIONE CONSS. 230.

De abſentia ſponſi.

2. Impp. VALERIANUS & GALLIENUS AA. & VALERIAN. Cæſ. Paulinæ.

LIberum eſt filiæ tuæ, ſi ſponſum ſuum poſt tres [23] peregrinationis annos expectandum ſibi ultra non putet, omiſſa ſpe hujus conjunctionis, matrimonium facere: ne opportunum [24] nubendi tempus amittat: cum poſſet nuntium [25] remittere, etiam ſi præſente illo conſilium mutare voluiſſet. PP. 7. Kal. April. ÆMILIANO & BASSO CONSS. 260.

De ficto repudio in fraudem dotantis.

3. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Tullio.

DUbium non eſt omnia omnino quæ [26] conſilio recte geruntur, jure meritoque effectu & firmitate niti. Quare ſi tu dotem pro muliere dediſti, & ex [27] morte ejus repetitionem ſtipulatus es, circumſcribendi autem tui cauſa ficto [28] repudio matrimonium brevi [29] tempore reſciſſum eſt: res dotales quas ante nuptias obtuliſti, Præſes provinciæ recipere te non dubitabit. Certum eſt enim datu-rum operam Moderatorem provinciæ, ut quæ contra fas geſta ſunt, fructum [30] calliditatis obtinere non poſſint: cum nobis hujusmodi commenta diſpliceant. Imaginarios [31] enim nuntios, id eſt, repudia, nullius eſſe momenti, ſive nuptiis fingant ſe renunciaſſe, ſive ſponſalibus, [etiam veteribus] juris auctoribus placuit [32]. Dat. 2. Kal. Septemb. *Tyberiade*, AA. & CC. CONSS.

De poteſtate matris.

4. Iidem AA. & CC. Piſoni.

FIliæ divortium in poteſtate matris [33] non eſt. Dat. 3. Kal. Jan. *Sirmii*, CC. CONSS. 293.

De poteſtate patris.

5. Iidem AA. & CC. Schyroni.

DIſſentientis patris [34] qui initio conſenſit matrimonio, cum marito concordante [35] uxore filiafamilias [36], ratam non haberi voluntatem, divus Marcus pater noſter, religioſiſſimus Imperator, conſtituit: niſi magna [37] & juſta [38] cauſa interveniente hoc pater fecerit. Invitam [39] autem ad maritum redire, nulla juris præcipit conſtitutio. † Emancipatæ [40] vero filiæ pater divortium in arbitrio ſuo non habet. Dat. 5. Kalend. Septembr. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 293.

In AUTHENT. de nupt. §. eſt quoque. col. 4. tit. 1. Nov. 22. cap. 19.

E Contra ſi filiifamilias diſtrahunt parente nolente [41], *quid juris ſit, exprimit nova conſtitutio de nuptiis, ſcilicet ne matrimonia diſtrahantur in læſionem* [42] *parentum, qui dotem, vel ante nuptias donationem obtulerint, aut ſuſceperint ſoli, aut cum filiis: quia ſicut in contrahendo matrimonio conſenſus parentum exigitur, ita & in diſſolvendo.*

De repudii libello non tradito, vel cognito marito.

6. Iidem AA. & CC. Phœbo.

LIcet repudii libellus non [43] fuerit traditus, vel cognitus marito, diſſolvitur matrimonium. Dat. 18. Kal. Jan. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 293.

De uxore militis.

7. Imp. CONSTANT. A. Dalmatio.

UXor, quæ in militiam profecto marito, poſt interventum annorum quatuor [44], nullum ſoſpitatis ejus potuit habere indicium [45], atque ideo de nuptiis aliis cogitavit, nec tamen ante nupſit, quam libello Ducem ſuper [hoc ſuo] voto convenit; non videtur nuptias iniiſſe furtivas [46], nec dotis amiſſionem ſuſtinere, nec capitali [47] pœnæ eſſe obnoxia, quæ poſt tam magni temporis jugitatem non temere, nec clanculo [48], ſed publice conteſtatione depoſita nupſiſſe firmatur. Ideoque obſervandum eſt, ut ſi adulterii ſuſpicio nulla ſit, nec conjunctio furtiva detegatur, nullum periculum ab his quorum conjugio erant copulatæ, vereatur: cum, ſi conſcientia maritalis tori furtim eſſet violata, diſciplinæ ratio pœnam congruam flagitaret [49]. Dat. *Neſſo* [50], FELICIANO & TITIANO CONSS. 337.

In AUTHENT. ut lic. mat. & aviæ. §. quod autem a nobis. col. 8. tit. ult. Novell. 117. cap. 11.

HOdie quantiscunque annis maritus in expeditione manſerit, mulier ſuſtinere debet, licet neque literas, neque reſponſum ab eo accepe-

1 Donatio in conjuges ſilentio donatoris confirmatur: hoc eſt, ſi eam ſuperſtes non revocavit, *ut hic.* Quid ſi donatio ſit reciproca & mutua: Hippol. Marſilius *ſingul.* 50. notat id genus donationis morte confirmationem non requirere, valere denique ſine traditione: idque ita notatum eſſe a Cyno & Caſtrenſi in *l. ſi pater.* 5. *ſupr. de inoffic. teſtam.* 2 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 27. J. *de donat.* 3 Inſinuationem donationis inter virum & uxorem obſerva. 4 Nota regulam: Quid hujusmodi donatio nunı prorſus inutilis eſt? An potius ad ſummam quingentorum ſolidorum ſuſtinenda ex *l.* 34. *l.* 36. §. 3. J. *de donat.* Salicetus negat: probat enim in hujusmodi donatione defunctum eſſe in re: quod videlicet inſinuata non fuerit, & in perſona, quod inter conjuges non valeat donatio, ſed tamen Clarus 4. *ſentent.* 4. §. *donatio. quæſt.* 17. *verſ. Sed hic.* notat, Saliceti opinionem communiter reprobari contrariamque opinionem æquiorem eſſe. 5 Suſtinentur hujusmodi donationes jure relicti potius, quam contractus, ideoque ex illis detrahitur Falcidia ſicut de legatis, additur etiam id verum eſſe, quoties ante mortem mariti intervenit traditio vera vel ficta, vel aliquid traditionis vice: veluti conſtitutum & confeſſio recepti. alias, ſi ſola promiſſio intervenit, morte non confirmatur: Clarus id ita communiter intelligi ab omnibus interpretibus notat 4. *ſent.* 4. §. *donatio. quæſt.* 9. *verſ. Scient autem.* 6 *l.* 20. *ff. h. t. l.* 20. *ff. de pign. act. l.* 40. *ff. de mort. cauſa donat.* 7 Idem Clarus *ibid.* ex communi opinione refert, hujusmodi donationem morte mariti confirmantis reſpectu dominii non retrotrahi ad tempus factæ donationis: ſed fructuum perceptorum reſpectu. Idem ſentit Bald. *hic.* 8 Vide *l.* 7. *in fin. princ. l.* 1. *S. ad Senatusconſ. Maced. l.* 16. §. 1. *ff. de pign. & hypothec. l.* 20. *ff. de pign. action. l.* 44. §. 1. *ff. de uſurp. & uſucap.* 9 Quæ juris ſunt, retrotrahuntur, non quæ ſunt facti. *arg. l.* 7. *ff. de jure codicill.* 10 Princeps conſtante matrimonio uxori ſuæ donare poteſt. 11 Ita ut mors Principis non expectetur, quod in cæteris non eſt. 12 Contractus initi cum Imperatore & Auguſta vicem legis obtinent, facit *l.* 7. *infr. de bon. quæ liberis. l. ult. in fin. infr. de quadrien. præſcr.* 13 *l.* 32. §. 14. *ff. h. t.* 14 Principis nihil tam peculiare, quam humanitas. 15 Humanitatem obſervantes, Deum imitantur. 16 Dixi ad *lib.* 24. *ff.* 2. *Cod. Theod. h. t. lib.* 3. *tit.* 16. de formulis repudii, vide *l.* 2. *ff. de divort. & repud.* de juſtis cauſis divortii, vide *Novell.* 117. *c.* 8. 9. 17 Repudium divortium eſt ſponſaliorum: Divortium, repudium matrimonii. Interdum tamen confunditur vox utraque *l.* 8. *infr.* Divortium primus Romæ fecit Sp. Carvilius Ruga, quod ejus uxor corporis vitio ei non pareret & apud cenſores juraverat ſe liberorum tollendorum gratia uxorem ducere, anno urbis 523. 4. Gell. 3. ex eo tempore cautiones rei uxoriæ neceſſariæ viſæ, ut ex Ser. Sulpitii *lib. de dotibus.* refert Gellius *d. loco.* Et tamen Plutarchus *in Romanis quæſtionibus* refert Domitianum primum repudia permiſiſſe. De divortio hoc etiam addatur, Flaminicæ, hoc eſt, uxori Flaminis non licuiſſe divortium facere. Feſt. *in Flaminica.* 10. Gell. 15. *ibi*, *Matrim. Flamin. niſi morte dirimi jus non eſt.* 18 Propter mores retentio ex dote fiebat. Ulp. *in fragm. tit.* 6. §. 9. mores inquam, pravos & inhoneſtiſſimos uxoris. de quibus *l.* 11. §. 2. J. *h. t.* verum hoc judicium poſtea ſublatum. *d.* §. 2. *verſ. Judicio.* ut & retentio ob mores. *l. un.* §. 5. *S. de rei uxor. act. verſ. quid enim opus eſt inducere ob mores retentionem?* De morum judicio, adde *l.* 5. *ff. de pactis dotal. l.* 39. & *l.* 47. *ff. ſolut. matrim.* Ulp. 6. *l.* 11. *in fin. ff. ad l. Jul. de adult. l.* 8. *ff. de captiv. & poſtl. reverſ. l.* 1. *Cod. Theod. de dot. l.* 4. *Cod. Theod. de inceſt. nupt.* de cenſoribus morum apud Romanos, vide Aſconium *orat. in Piſonem*; autorem ad Herennium *lib.* 1. Donatum *in Terentium*; Varronem 5. *de lingua*; & Gellium 4. *c.* 20. 19 Deportatione viri vel amiſſione civitatis, matrimonium non ſolvitur: dos tamen ex æquo poteſt repeti. 20 Vide quæ dixi ad *l.* 24. *ſupr. de donat. inter vir.* adde *l.* 5. *ff. de bon. damnat. Novell.* 22. *c.* 13. *l.* 13. §. 1. *ff. de donat. inter vir.* 21 Actio. *Hal.* 22 Sed ex æquitate. *infr.* Nam actio de dote conſtante matrimonio competit hoc caſu, ut & alio. *l.* 24. *ff. ſolut. matrim.* 23 Præſens ſponſus expectatur per biennium. *l.* 2. *S. de ſponſalib.* abſens per triennium, *ut hic.* 24 Opportunum nubendi tempus puellis non auferendum. 25 Sponſalibus renunciari poteſt. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t. l.* 1. *ſupr. de ſponſal.* 26 Effectus conſilio geſti. 27 Ut *l.* 59. *ff. ſolut. matrim. Novell.* 22. *c.* 19. 28 Fictum repudium non impedit pactum in caſum mortis collatum. 29 Res ita habet: Stipulatus ſum dotem tuæ uxoris mihi reddi in caſum mortis, non divortii. Matrimonium ſolutum eſt divortio, non morte? deficit conditio ſtipulationis: poſtea redintegratum eſt matrimonium: An etiam redintegratur ſtipulatio? ſic ſane, ſi fictum divortium fuit, non verum. *l.* 26. *in fin. ff. de pactis dot.* quia nec tali divortio ſolvitur matrimonium, nec extinguitur ſtipulatio, atque ideo ex morte committitur ſtipulatio, perinde ac ſi nullum divortium interceſſiſſet. adde Cuj. 13. *obſ.* 25. 30 Calliditas fructum non meretur. 31 Imaginarii nuncii ſeu imaginaria repudia nullius ſunt momenti. 32 Cont. 1. *lect.* 7. hoc addendum putat ex Græcis. unde ſi iterum conjuncti fuerint, non poteſt in ſecundis nuptiis locum habere ſtipulatio, quod Cujacio diſplicet 13. *obſerv.* 25. 33 *l.* 20. *ſupr. de inoff. teſtam.* idem in patre. *l.* 5. J. *h. t.* 34 Vide *l.* 32. §. 19. *ff. de don. int. vir.* de matre dictum eſt lege ſuperiore. 35 Parens bene concordans matrimonium liberorum in poteſtate poſitorum diſſolvere non poteſt. *d. l.* 20. *d.* §. 19. *l.* 18. *ſupr. de inoff. l.* 1. *in fin. ff. de lib. exhib.* niſi ſit magna cauſa. J. *h. t.* 36 Ideo recte queritur filia apud Ennium in hunc modum, *apud autorem ad Heren. lib.* 1. *Injuria abs te afficior indigna pater. Nam ſi improbum eſſe Cteſiphontem exiſtimaveras, Cur me huic locabas nuptiis? Sin eſt probus, Cur talem invitum invitam cogis linquere?* & in Plauti *Sticho*: filia ad patrem, *aut olim (niſi tibi placebat) non datum oportuit: Aut nunc, non æquum eſt abduci pater.* adde Cujac. *Nov.* 22. 37 Puta furoris & ſimilium. *l.* 4. *l.* 5. *ff. h. t. Nov.* 22. *c.* 19. *in fin. l.* 22. §. 9. *ff. ſoluto.* 38 Cui multum ſolet a judicibus tribui. *l.* 1. *in fin. l.* 26. §. *ult. ff. ex quibus cauſis major.* 39 Vide *l.* 69. *ff. de reg. jur.* 40 Contractum ab emancipato filio matrimonium pater diſſolvere nullo modo poteſt. 41 Cujus conſenſus requiritur in contrahendo matrimonio, ejus conſenſus etiam requiritur in diſſolvendo. 42 Factum filii patri non nocet. 43 Sufficit repudium mitti per nuncium, vel libellum conjugi datum, miſſumve ad domum ejus. 44 Vide quæ dixi de hujus loci abrogatione, *Novell.* 117. *cap.* 11. 45 Σύμβολον. *Nov.* 22. quidam legebant *Judicium.* 46 Furtivæ nuptiæ. 47 Furtivarum nuptiarum pœna capitalis. 48 Hinc colligere poſſumus, Nuptias palam fieri debere, teſte populo. Apulej. 6. Nuptiæ in villa ſine teſtibus legitimæ non poſſunt videri. In villa, eſt in ſeceſſu & ſecreto. *l.* 8. *ff. de manum. vindict.* In concubinatu idem vitium non notatur, niſi mulier ſit ingenua claraque. *l.* 3. *ff. de concub.* adde quæ ſcripſi *ad Nov. Leonis* 89. Græci nuptias clandeſtinas κλεψιγάμους vocant. 49 *l. un.* §. 16. *ſupr. de rei uxor. act.* 50 *Naiſſo.*

rit.

rit. † *Sed ſi mortuum audierit: non prius nubat, quam per ſe, vel per alium, eum ſub quo militabat, adiens interrogavit, ſi pro veritate mortuus eſt: ut apud geſta deponatur cum jurejurando, ſi mortuus ſit: quo ſubſecuto, poſt annum nubat.* † *Si vero præter hæc nupſerit: tam ipſa, quam qui eam duxerit, veluti adulteri puniantur.* † *Sed qui juraverit, ſi falſo juraſſe convincatur: militia nudatus, decem libras auri ſolvet illi, quem mortuum fuiſſe mentitus eſt: eo licentiam habente, ſi voluerit, ſuam uxorem recipere.*

De modo contrahendi ac diſſolvendi matrimonium. 1. De cauſis repudii. 4. Pœnæ repudiantium ſine cauſa. 8. De pactis.

8. Impp. THEODOS. & VALENT. AA. Hormiſdæ P. P.

COnſenſu [1] licita matrimonia poſſe contrahi, contracta [2] non niſi miſſo repudio diſſolvi præcipimus: ſolutionem [3] etenim matrimonii difficiliorem [4] debere eſſe, favor [5] imperat liberorum. §. 1. *Cauſas* autem repudii [6] hac ſaluberrima lege apertius deſignamus. Sicut enim ſine [7] juſta cauſa diſſolvi matrimonia juſto limite prohibemus: ita adverſa neceſſitate [8] preſſum vel preſſam, quamvis infauſto [9], attamen neceſſario auxilio cupimus liberari. §. 2. Si qua [10] igitur maritum ſuum adulterum [11], aut homicidam, aut veneficum, vel certe contra noſtrum imperium aliquid molientem, vel falſitatis crimine condemnatum invenerit, ſi ſepulchrorum diſſolutorem, ſi ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem, ſi latronem, vel latronum ſuſceptorem, vel abactorem, aut plagiarium, vel ad contemptum [ſui] domusve ſuæ ipſa inſpiciente cum impudicis mulieribus (quod maxime etiam caſtas [12] exaſperat) cœtum ineuntem, ſi ſuæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio ſimili modo inſidiantem, ſi ſe verberibus [13] (quæ ingenuis aliena ſunt) afficientem probaverit, tunc repudii auxilio uti neceſſario ei permittimus libertatem & cauſas diſſidii legibus comprobare.

In AUTHENT. ut lic. mat. & aviæ. §. cauſas. col. 8. tit. ult. alias §. quia vero quædam in f. Novell. 117. cap. 9. al. cap. 13.

SEd novo jure vir, qui ſine cauſa hoc fecerit, ex alia ſubſtantia ſua etiam conſtante matrimonio tantum dabit uxori, quantum tertia pars facit antenuptialis largitatis: ſed matrimonium ob id non ſolvitur.

§. 3. Vir [14] quoque pari fine claudetur, nec licebit ei ſine cauſis apertius deſignatis propriam repudiare jugalem [15]: Nec ullo modo expellat niſi [16] adulteram, vel veneficam, aut homicidam, aut plagiariam, aut ſepulchrorum diſſolutricem, aut extraneorum virorum, ſe ignorante vel nolente, convivia appetentem; aut ipſo invito ſine juſta & probabili cauſa foris ſcilicet pernoctantem, vel circenſibus, vel theatralibus ludis, vel [arenarum] ſpectaculis [in ipſis] locis, in quibus hæc adſolent celebrari, ſe prohibente, gaudentem, vel ſibi veneno, vel gladio, aut alio ſimili modo inſidiatricem, vel contra noſtrum imperium aliquid machinantibus conſciam, ſeu falſitatis ſe crimini immiſcentem invenerit, aut manus audaces ſibi probaverit ingerentem: tunc enim neceſſario ei diſcedendi permittimus facultatem, & cauſas diſſidii legibus comprobare. §. 4. Hæc niſi vir & mulier obſervaverint, ultrice providentiſſimæ legis pœna [17] plectentur. Nam mulier ſi contempta lege repudium mittendum eſſe tentaverit, ſuam dotem, & ante nuptias donationem amittat, nec [18] intra quinquennium nubendi habeat denuo poteſtatem: æquum eſt enim eam interim carere connubio, quo ſe monſtravit indignam. Quod ſi præter hæc nupſerit, erit ipſa quidem infamis: *connubium* vero illud nolumus nuncupari. Inſuper etiam arguendi hoc ipſum volenti concedimus libertatem. Si vero cauſam probaverit intentatam: tunc eam & dotem recuperare, & ante nuptias donationem lucro habere, aut legibus vindicare cenſemus, & nubendi poſt [19] annum [ei] (ne [20] quis de prole dubitet) permittimus facultatem. §. 5. Virum, etiamſi mulierem interdicta arguerit [21] attentantem; tam dotem, quam ante nuptias donationem ſibi habere ſeu vindicare, uxoremque (ſi velit) ſtatim [22] ducere, hac juſta definitione ſancimus. Sin autem aliter uxori ſuæ renunciare voluerit, dotem redhibeat, & ante nuptias donationem amittat. §. 6. Servis [23] etiam ſeu ancillis puberibus, ſi crimen adulterii [24], vel majeſtatis [25] ingeritur, tam viri, quam mulieris, ad examinandam cauſam repudii, quo veritas aut facilius eruatur, aut liquidius detegatur, ſi tamen alia documenta defecerint, quæſtionibus ſubdendis. Super plagis etiam (ut dictum [26] eſt) illatis ab alterutro commovendis, eaſdem probationes (quoniam non facile, quæ [27] domi geruntur, per alienos poterunt confiteri) volumus obſervari.

§. 7. Si vero filio vel filiis, [filia] vel filiabus extantibus repudium miſſum eſt, omne, quicquid ex nuptiis lucratum eſt, filio ſeu filiis, filiæ ſeu filiabus poſt mortem accipientis ſervari [28]: id eſt, ſi pater temere repudium miſerit, donationem ante nuptias a matre ſervari: ſi mater, dotem ipſam eidem [vel eiſdem] filio ſeu filiæ patre moriente dimitti cenſemus: patri videlicet vel matri in ſcribendis filiis heredibus, [ſi] unum ſeu unam vel omnes ſcribere, vel uni ex his donare velit, electione [29] ſervata: nec ullam alienandi ſeu ſupponendi memoratas res permittimus facultatem. Sed ſi aliquid ex iiſdem rebus defuerit, ab heredibus ſeu earum detentatoribus (ſi tamen non ipſos heredes ſcripſerit, aut ſcripti filii non [30] adierint) reſarciri præcipimus: ut etiam hoc modo inconſulti animi a repudio mittendo detrimento retrahantur. §. 8. Pactiones [31] ſane, ſi quæ adverſus præſentia ſcita noſtræ majeſtatis fuerint attentatæ, tanquam legibus contrarias nullam habere volumus firmitatem. Dat. 5. Id. Januar. PROTOGENE & ASTERIO CONSS. 449.

De communi conſenſu.

9. Imp. ANASTASIUS A. Theodoro P. P.

SI conſtante matrimonio, communi [32] conſenſu tam viri quam mulieris, repudium ſit miſſum, quo nulla cauſa continetur, quæ conſultiſſimæ conſtitutioni divæ memoriæ Theodoſii & Valentiniani inſerta eſt: licebit mulieri non quinquennium expectare, ſed poſt [33] annum ad ſecundas nuptias convolare. Dat. 15. Kal. Martii, ANASTASIO A. II. CONS. 497.

In AUTHENT. ut lic. mat. & aviæ. §. quia vero ex conſenſu. coll. 8. tit. ult. Novell. 117. cap. 10.

QUod hodie non [34] *licet, niſi caſtitatis concupiſcentia hoc fiat: tam dote quam ante nuptias donatione filiis conſervatis: Quæ ſi alias poſtea nuptias contrahere: vel luxurioſe vivere inveniantur, liberis tradendæ ſunt earum facultates, delinquentibus earum proprietatem amittentibus: Filiis autem non extantibus fiſco applicantur. Et qui talia deliquerint, legitimis ſubjiciantur pœnis.*

De impotentia coeundi.

10. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

IN cauſis jam dudum ſpecialiter definitis ex quibus recte mittuntur repudia, illam addimus, ut, ſi maritus uxori ab initio matrimonii usque ad duos [35] annos continuos computandos coire [36] minime propter naturalem [37] imbecillitatem valeat, poſſit mulier vel ejus parentes ſine [38] periculo dotis amittendæ repudium marito mittere: ita tamen, ut ante nuptias donatio eidem marito ſervetur. Dat. 3. Id. Dec. DN. JUSTINIANO A. II. CONS. 528.

In AUTHENT. de nupt. §. per occaſionem. col. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 6.

SEd hodie non biennium ſolum, ſed triennium enumerari volumus ex ipſo tempore copulationis computandum.

De matrimonio ſine dote conſtituto, & judicio de moribus ſublato.

11. Idem A. HERMOGENI Magiſtro officiorum.

JUbemus, ut quicunque mulierem cum voluntate parentum: aut ſi parentes non habuerit, ſua voluntate maritali affectione in matrimonium acceperit: etiam [39] ſi dotalia inſtrumenta non interceſſerint, nec [40] dos data fuerit: tanquam ſi [cum] inſtrumentis dotalibus tale matrimonium proceſſit, firmum conjugium eorum habeatur: non [41] enim dotibus, ſed adfectu [42] matrimonia contrahuntur. §. 1. Si quis autem eam, quam [43] ſine dote uxorem acceperat, a conjugio ſuo repellere voluerit: non aliter ei hoc facere liceat, niſi talis culpa interceſſerit, quæ noſtris legibus condemnatur. Si vero ſine culpa [eam] rejecerit, vel ipſe talem culpam contra innocentem mulierem commiſerit: compellatur ei quartam [44] partem propriæ ſubſtantiæ pro rata portione perſolvere: ut ſi quidem quadringentarum librarum auri, vel amplius vir ſubſtantiam habeat, centum [45] libras auri mulieri præſtet, & nihil amplius, etſi quantamcunque ſubſtantiam poſſideat. Si vero minus quadringentis libris auri pura ſubſtantia ejus fuerit, tunc

1 Vide *l.* 30. *ff. de reg. jur.* 2 *Novell.* 117. *cap.* 10. & ſimplici conſenſu. *Novell.* 140. adde *l.* 35. *ff. de reg. juris.* 3 Plus eſt igitur repudio diſſolvi matrimonium, quam conſenſu. 4 Nuptias facile diſſolvi non permittit favor liberorum. 5 Liberis multum favetur. 6 De repudii cauſis adde *Novell.* 22. *c.* 15. *Novell.* 117. *c.* 8. & 9. *Syn. Baſil.* 29. *tit.* 2. *c.* 1. & 4. Harmen. 12. §. 13. & *ſeq.* Zonar. & Balſamo *in can.* 5. *apoſt.* Goth. Jure Canonico non diſſolvitur matrimonium quoad vinculum, ſed tantum quoad thorum & menſam ne quidem propter adulterium, adeoque verum divortium non eſt. *cap.* 1. *extr. de divort.* Anſ. 7 Matrimonia diſſolvi ſine legitima cauſa non poſſunt. 8 Intereſt matrimonium diſſolvi, ſi id neceſſitas exigat. 9 Divortii infauſtum auxilium. 10 Quibus de cauſis maritus poſſit repudiari, dixi ad *Nov.* 22. *cap.* 15. §. 1. *Nov.* 117. *c.* 9. 11 Plures hic cauſæ divortii enumerantur, quam in *l.* 1. *C. Theod. h. t.* ubi uxori licet repudium mittere marito homicidæ, medicamentario, (hoc eſt, venefico) & ſepulchrorum diſſolutori: ſic ut ſi præter ſuperiores cauſas repudium mittat, usque ad acuculam in domo mariti deponere debeat, & in inſulam deportari. 12 Nihil eſt quod æque uxorem exaſperet, quam viri impudicitia. 13 Eam ob cauſam hodie matrimonium non diſſolvitur. *Novell.* 117. *cap.* 14. Quæ merito in uxorem ſint permiſſa, vide apud Romanum *ſing.* 4. 14 De cauſis repudii viro permiſſi, dixi ad *Novell.* 22. *cap.* 15. §. 2. *Novell.* 117. *c.* 8. 15 Id eſt, uxorem. 16 Pauciores quoque cauſas in viro enumerat *l.* 1. *C. Th. h. t.* cauſas nimirum repudii in viro haſce eſſe, ut vel mœcham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiet. 17 Pœna injuſti repudii. Non mittitur repudium niſi juſtis de cauſis: alioquin injuſti repudii actio eſt. *Novell.* 117. *cap.* 13. *l.* 38. *ff. ſolut. matrim. l.* 8. *in fin. ff. de captivis & poſtlim.* 18 Gravior interdum pœna conſtituitur uxori ἀποστασίαν, ſive repudium mittenti: Nam in perpetuam monaſterii captivitatem conjicitur. *Novell.* 117. *c.* 13. *in pr.* & omnia ſua deponit in domo mariti, usque ad aciculam capitis, id eſt, acum crinalem. *l.* 1. *l.* 2. *C. Theod. de repudiis.* 19 *l.* 9. *infr. h. t.* 20 Si mulier intra annum luctus nubit, de prole dubitatur. *l.* 11. §. 1. *ff. de his, qui notant.* Eam ob cauſam indicitur illi luctus annuus: quin & propter reverentiam & memoriam mariti, quandoquidem etiamſi intra annum peperit, annum luctus peragere debet, niſi hoc a Principe impetraverit. *l.* 10. *ff. de his, qui notant. infam.* id quod prægnanti nunquam concedit Princeps. Tacit. 1. Dion. 48. 58. Plutarch. *in Anton.* E contrario remittitur luctus, ſi maritus luctu indignus fuerit. *d.* §. 1. adde Cujac. 6. *obſerv.* 32. *ubi de luctu mulierum*, & *feſtinatis nuptiis tractat.* & *ad Novell.* 22. & *ad c.* 20. *de præſcriptionib.* Quid ſi divortio, aut bona gratia matrimonium ſit ſolutum? vide *l.* 9. *in fin. infr. h. t.* 21 Maritus ſecundam uxorem ſtatim ducere poteſt, quocunque divortio ſolutum ſit matrimonium. 22 *l.* 11. *in fin. ff. ad leg. Jul. de adulteriis.* 23 Servis & ancillis creditur adverſus dominos certis criminibus. *l.* 32. *infr. ad leg. Jul. de adulteriis. l.* 1. *infr. de quæſtion.* vide quæ dixi ad *Nov. Leon.* 49. 24 *d. l.* 32. *d. l.* 1. 25 *d. l.* 1. 26 Vide §. 2. *ſupr. h. t.* 27 *Domeſtici* teſtes interdum admittuntur: interdum, id eſt, in *domeſticis* factis. dixi ad *Novell.* 90. *c.* 1. adde *l.* 3. J. *de naufragiis. lib.* 11. *tit.* 5. *l.* 6. J. *qui militare. lib.* 12. *tit.* 34. 28 *l.* 11. §. 1. *verſ. filiis autem.* J. *h. t. l.* 9. *in fin. S. de ſecund. nupt.* 29 Azo & Hugolinus exiſtimant hanc electionem non denegari ex *Novell.* 2. *c.* 1. hoc eſt, ut lucrum nuptiale quod adquirit per matrimonium morte, vel quaſi morte (puta monachiſmi profeſſione, vel ſervitute) diſſolutum poſſit ſuperſtes conjux in quem voluerit liberorum conferre: ſed ſi inter vivos divortium citra cauſas ſuperiores acciderit: idque Cujac. probat *Nov.* 2. *c.* 1. & *Nov.* 22. *c.* 25. 30 Alias ſi adiiſſet, factum patris non poſſet reprobare. *l. cum a matre.* 14. *ſupr. de rei vindic.* 31 *l.* 1. *in fin. ſupr. de rei uxor. act.* 32 Id abrogatur *Nov.* 117. *cap.* 10. reducitur poſtea *Novell.* 140. 33 Quid ſi mulier ante annum luctus peperit, poteſtne ſtatim nubere? Cujac. 1. ad *Novell.* 22. & *c.* 20. *de præſcriptionibus.* & 6. *obſ.* 37. putat poſſe quoties matrimonium diſſolvitur inter vivos, puta mutuo conſenſu, ſervitute, electione ſolitariæ vitæ: aliud fore, ſi morte matrimonium ſit diſſolutum. 34 Imo licet. *Novell. Juſtin.* 140. 35 Hodie tres. *Novell.* 22. *cap.* 6. *Auth. prox.* J. 36 Dixi ad *Novell.* 22. *cap.* 6. *Novell.* 117. *cap.* 12. adde *l.* 60. §. 1. *l.* 61. *l.* 62. *ff. de donat. inter vir.* 37 Non ergo propter accidentalem. *cap.* 1. *extr. de frig. & malef.* Idem etiam marito propter ſterilitatem fœminæ. *l.* 60. §. 1. *ff. de donat. int. vir. & uxor.* Olim tamen in Eccleſia Romana propterea divortio non erat locus, ſed ſi quis cum uxore congredi non poterat, ſuo, vel uxoris vitio, eam tamen tanquam ſororem retinere debebat. *Can. requiſiſti.* 33. *quæſt.* 1. quo reſpicit *Cap.* 4. *Conſultationi. extr. de frig. & maleſic.* & *ibi* Cujac. *Anſ.* 38 Cauſam obſerva ex qua mulier repudium mittit ſine dotis amiſſione. 39 Dotalia inſtrumenta ad nuptiarum ſubſtantiam nihil pertinent. *l.* 20. *verſ. quare. ſupr. de donat. ante nuptias.* dixi ad *l.* 9. *l.* 13. *l.* 22. *ſupr. de nupt.* vide tamen *Novell.* 74. *cap.* 4. *Novell.* 117. *cap.* 3. & 4. 40 Matrimonium ſine dote eſſe poteſt. vide *l. ult. ſupr. ad SC. Velleian.* adde *Nov.* 22. *cap.* 18. 41 Affectu, non dotibus matrimonia contrahuntur. 42 *Nov.* 74. *cap.* 4. vide *l.* 30. *ff. de reg. juris.* 43 Ob nullam acceptam dotem uxor a marito repudiari non poteſt. *Nov.* 22. *cap.* 18. Quid ſi promiſſam dotem maritus non accepit? dixi S. *ad l. ult. ſupr. ad SC. Velleian.* Quid ſi inopem uxorem maritus expulit, & locupletem poſtea factam recipere velit. vide quæ ſcripſi ad *l.* 2. J. *ne fidejuſſ. dot.* 44 Qui ſola affectione indotatam uxorem accepit diſcordiæque cauſam dedit, præſtet conjugi quartam partem bonorum ſuorum: ita tamen ut non excedat ea pars centum libras auri. vide *Novell.* 22. *cap.* 18. Idem quadrans debetur conjugi ſuperſtiti egeno, vel egenæ morte ſoluto matrimonio, ſive extent liberi, ſive non extent. *Nov.* 53. *c.* 6. *Nov.* 74. *c.* 5. 45 Dotis maximus modus, centum auri libræ, *ut hic. Nov.* 22. *cap.* 18. *verſ. Si quid.* qui fuit olim decies centenorum millium nummum. *l.* 6. *in fin. ff. de uſur.* Martialis 2. *epigr.* 65. *Centena decies quæ tibi dedit dotis.* Juvenal. *Satyra* 10. *circa fin. Et ritu decies centena dabuntur Antiquo.*

CODEX.

[Ee] 2

quarta